

12. Quaerebat census aliquis? captabat honores?  
Huic jam vilescant census, honosque sibi.
13. Gaudebat dapibus? gaudebat divite mensa?  
Nunc tenuem victum sobria coena dabit.
14. Ille suis laetus successibus esse solebat,  
Nunc lacrymis culpas diluat ipse suas.
15. Ostro conspicuus, gemmis insignis et auro,  
Veste modo vili squalida membra tegat.
16. Verbosus taceat, mitescat fervidus ira,  
Invidus invidiae dira venena vomat.
17. Cuique prius caedes placuit, placuere rapinae,  
Nunc pius, et mitis pacis amator erit.
18. Quisquis adulantium ventosa laude tumebat,  
Nunc hominum laudes aestimet esse nihil.
19. Et qui sponte malus, gratisque nocere solebat,  
Nunc etiam laesus, utilis esse velit.
20. Ad lites facilis fuit, hic ad jurgia praeceps,  
Fortiter alterius nunc maledicta ferat.
21. Non hunc contemptus, non hunc injuria frangat,  
Omnia robusto corde molesta ferat.
22. Pax animique quies inter convicia duret,  
Nam fortem rerum nulla procella movet.
23. Haec veniam fratres conversio vera meretur,  
Haec valet offensum flectere vita Deum.
24. Funestum monacho est quidquid male suggerit  
Et conatur eum fallere mille modis. [hostis,
25. Esse Deum credat praesentem semper ubique:  
Nec se si peccet, posse latere putet.
26. Cuncta scit atque videt; nec quicquam praeterit  
Omnia sunt oculis nuda et aperta suis. [illum,

27. Cum quid turpe facit, qui me spectante ruberet,  
Cur spectante Deo non magis ipse rubet?
28. Si patriae judex sciret sua facta, timeret,  
Si dominus rerum, cur nihil ergo timet?
29. Sed tacet, et differt, et nondum crimina punit:  
Puniet, et meritis arbiter aequus erit.
30. Propositum vitae, monachi, servate rigorem,  
Nec pigeat parvo tempore parva pati.
31. Exiguus labor est, sed merces magna laboris:  
Praeterit ille cito, proemia fine carent.
32. Ergo Deo melius, si nil cognoscitis esse,  
Immo si summum creditis esse bonum:
33. Contemptis mundi rebus labentibus istis,  
Jam sint in solo gaudia vestra Deo.
34. Et mihi quae possunt amitti nulla videntur,  
Nec longum quidquid desinit esse reor.
35. Nam quid honor? quid opes? quid gloria? quidve  
[juventus?  
Forma, genus, vires, foemina, vestis, ager?
36. Magna potentia, multa scientia, falsa voluptas,  
Vita quid? et nostra corporis ista salus?
37. Non amo quod pestis, quod fur, quod surripit ho-  
Et quae si parcant, aspera mors adimit. [stis,
38. Quis poterit fari, quis scribere, quis meditari  
Quae dabis in coelis proemia, Christe, tuis?
39. Quisquis ad haec igitur paradisi gaudia tendis,  
Sedulul angustam nunc agere disce viam.
40. Ne laxes vitiis angustiae mentis habenas,  
Divini semper froena timoris habe.
41. Expecta Dominum, formida judicis iram,  
Et quod promittit rex tibi miles ama.

42. Parvulus esto vide, mentis depone tumorem,  
Porta Dei nullum qui tumet arcta capit.
43. Summa quidem virtus monachi, parere Priori,  
Ferre jugum normae, seque negare sibi.
44. Quidquid praecipiet, mox et sine murmure serva,  
Peccatum solum dedecuisse puta.
45. Non vilis vestis, non te locus ultimus angat,  
Saepe tui stultos ordinis ista movent.
46. Sed si nos sane sapimus, si vera fatemur,  
Aggreditur virtus ardua, dura probat.
47. Qui sibi vilescit, qui se nihil aestimat esse,  
Et timet, et mundi labilis alta fugit.
48. Hic est sapiens, et coelo proximus iste,  
Non sine re monachi nomen inane gerit.
49. Si vult ditari, varios si quaerit honores,  
Induit occultum pellis ovina lupum.
50. Sed qui cuncta videt mundi pius arbiter ille,  
Novit oves, tacitos novit et ipse lupos.
51. Haec ergo monachus labiis et corde frequentet,  
Te mihi, te solum da Deus, et satis est.
52. O certe felix possessio, quaeque beatum  
Sola facit, miserum caetera pondus habent. »

**37.** — **Quodlibeta de statu clericali et regulari.**  
— I. *Status Episcoporum est perfectior statu religiosorum.* — Quia 1° Episcopus debet alios illuminare, purgare et perficere, nec sufficit ut sibi perfecte vivat. — 2° Episcopis competit modo principali excellentissimum munus pastorale cum immobilitate officii. — 3° Episcopus est Pater fidelium suae dioecesis cujuscumque sint status, recluso privilegio

exemptionis. — 4° Episcopus frequentissime debet exercere nobilissimos virtutum actus, ad salutem gregis, et dispositionem habere ad majora pro ovibus sustinenda. Et in nullo statu respective tot inveniuntur sancti, teste Martyrologio. — **Attamen** « quamquam praelationis status in perfectione sit altior, « religionis tamen status securior et morbis nostris « curandis expedientior, pro eo quod a multis periculis eruit, quibus status praelationis exponit », ait S. Bonav. (*Apol. paup.* 1, resp. 3). Unde pie, sancte, et fructuose emittitur a variis conspicuis ecclesiasticis votum non acceptandi episcopatum, nisi accedente vi obedientiae aut necessitate charitatis.

II. « *Nec tamen ex his potest inferri quod ad « pontificis statum requiratur, quod omnes status « praecellat in omnibus, alioquin non posset fieri « pontifex nisi esset virgo, congruit tamen, quod « in his praecellat quae ad pascendi gregis spectant « officium, sicut scribit Hier. ad Oceanum: Futurus « pastor Ecclesiae talis eligatur, cujus comparatione « subjectus populus merito grex dicatur.* — Et Greg. « in past.: Tanto debet actionem populi actio praecedere praesulis, quantum distare solet a grege « vita pastoris. — Quapropter ad praelationis statum « non congruit accedere nisi perfectum, ut ibidem « ait Greg.: Virtutibus pollens, coactus ad regimen « veniat: virtutibus vacuus, nec coactus accedat. « Status vero religionis peccatores et imperfectos ad « mittit, ut justos efficiat et ad perfectionem adducat » (S. Bonav. *ibid.*).

III. *Presbyteri, Curati, et alii Clerici non sunt majoris perfectionis, quam religiosi.* — Quia religiosi possunt facere omnia quae illi, et Presbyteri possunt relinquere sua munera et ingredi religionem. Unde non valet ratio perfectionis status Episcoporum, quia clerici episcopis inferiores non habent principaliter sublimitatem muneris conjunctam cum stabilitate proprie dicta. — Nota quod religiosus potest fieri episcopus, non e contra absque speciali R. Pontificis licentia. — Clerici tamen *secundum quid*, sunt in statu perfectiori ac religiosi laici, ut patet. Sacerdotium enim ad quod clerici ordinantur est omnino perfectior vita mere monachali seu regulari. — Regulares sacra ordinatione decorati habent specialem perfectionem, ut multum participant de perfectione status Episcoporum, ratione ministerii altaris et animarum.

IV. *Status clericalis seu perficiendi alios sive principaliter ut Episcopatus, sive minus principaliter ut Ordinis sacri susceptio, et animarum cura, non absolute consulitur.* — Quia, talis status quamvis sanctissimus, adnexa habet difficillima officia, et praerequirit varia adjuncta ut honestetur in subjecto seu candidato ad illum ascendere volente, ut constat etiam ex n. 31, I. — *Status vero religiosus absolute consulitur*, et non solum desiderari potest in seipso, sed eo melius animae proficit, quod ardentius desideratur et liberius amplectitur, ut docent Doctores cum S. Thoma. Unde in praxi via religionis est facilior et securior.

V. *Status religiosus antonomastice est via ad perfectionem.* — Religiosus ut holocaustum totaliter se dedicat divino servitio, in quo est perfectio, ut habet Angelicus (2, 2, q. 186, a. 1). HINC:

38. — LAUDABILE EST ALIOS AD RELIGIONEM SEU STATUM RELIGIOSUM INDUCERE. — Unde, ait S. Th., « Inducentes alios ad Religionem non solum non peccant, sed magnum proemium merentur...; Dan. 22, « dicitur, quod qui ad justitiam erudiunt plurimos, « erunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. *Posset tamen contingere circa hujusmodi inductionem triplex inordinatio.* Primo quidem, si violenter aliquis alium ad Religionem cogeret: quod « prohibetur in Decret. 20, q. 5 (cap. *Praesens*). — « Secundo, si aliquis simoniace alium ad Religionem « trahat, muneribus datis, ut prohibetur in Decret. « ibidem, q. 2 (cap. *Quam pius*). Nee tamen ad hoc « pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in saeculo nutriens eum ad Religionem; « vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. — Tertio, si mendaciis eum « alliciat: imminet enim sic inducto periculum, ne « cum se deceptum invenerit, retrocedat; et sic fiant « novissima illius hominis pejora prioribus, ut dicitur *Luc. 26* » (2, 2, q. 189, a. 9). — QUAPROPTER damnanda injustissima quorundam spiritualium Directorum severitas nimia et exigentia ut dignentur enascentes vocationes juvare, sustinere, et tempestive permittere. Tales in praxi agunt veluti si ii tantum vocati dici possent qui extraordinariis signis et quasi

miraculoso impulsu ducerentur (ordinaria signa sufficiunt). Quando agitur de vocatione clericali quae probatam virtutem exigit, vel de vita saeculari sive de matrimonio quae tot difficultates habet (absque novitiatu), omnia faciliora videntur, omniaque celeriter et magistraliter resolvuntur; sed heu! quando negotium versatur circa vitam religiosam in qua habetur tempus probationis et novitiatus, statim multiplicantur objectiones, haesitationes, dubitationes; imponitur longa et periculosa mora, dilatatur Directoris consolatorius consensus, et practice temerario quaeritur quaedam divina evidentia et veluti revelatio... Tempus divinae appellationis est maxime tempus acceptabile... caveat vocatus, caveant Directores ne despiciatur momentum opportunum et hora divinae visitationis.

**39.** — NUMERUS AD RELIGIONEM VOCATORUM. — Deus, ut dictum est, omnes homines vocat ad perfectionem christianam per *communia* Evangelii *consilia*: attamen ad statum perfectionis religiosae per *tria specialissima consilia* eos tantum vocat qui ad illa servanda habent *idoneitatem et affectum*. Porro haec idoneitas vel est Deo dante, quasi ingenua et veluti adhaerens vocatorum indoli, vel pedetentim enascitur et cum aetate crescit et formatur, vel quasi sponte sua datis etiam minoris momenti occasionibus manifestatur et efflorescit, vel insolitis de causis quasi subitaneo et inopinante declaratur. In prioribus casibus habetur *ordinaria vocatio*, in posteriori vero *extraordinaria*. Et licet *stricto sensu*

vocatio extraordinaria importet revelationem divinam, aut saltem inspirationem singularem, nihilominus vere extraordinaria reputatur vocatio modo insolito et subitaneo patefacta.

*Pauci* quidem vocantur a Deo modo stricte extraordinario, ut S. P. Franciscus, et alii; valde *numerosiores* sunt quos Deus ad religionis jugum invitat modo quasi extraordinario sive insolitis subitaneisque rationibus; *innumeri prope* qui ordinario modo vocationem manifestant, utpote qui coelestibus benedictionibus praeventi, ac tanquam parvuli lacte pietatis enutriti, a juventute, imo non raro ab infantia in rebus religiosis specialiter delectantur, charismata meliora aemulantur, et ad perfectiorem vivendi rationem quasi naturaliter aspirant, non obstantibus transitoriis quibusdam defectibus et fragilitatibus. Hinc, *pauci* per miraculum et revelationem, *multi* per advenientem insolitam circumstantiam, *innumeri* prope per quasi inconscientem internam aeducationem et inclinationem, a Deo ad religiosam vitam vocantur. Unde merito dici potest illud quod in genere de vocatione habet S. Augustinus (ps. 102, v. 8): « Vocat undique Deus homines ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam... vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis ». Et Hugo Victorinus: « Vocat Deus... interius, per inspirationem; exterius, per Scripturas; superius, per promissiones; inferius, per comminationes; antierius, per beneficia; posterius, per flagella ».

Ordinaria et strictè extraordinaria vocatio inveniri potest in hominibus cujuscumque aetatis et conditionis; vocatio vero quasi-extraordinaria *generatim* reperitur in solis adultis, non autem in pueris, sive in junioribus adolescentibus.

Quasi extraordinario modo vocati haberi debent tot juvenes aetate maturi qui universitates et majora gymnasia frequentantes, et sat dissolutam vitam agentes, subitaneo v. gr. ad auditionem sancti Verbi Dei praeconis mundo valedixerunt, quod non raro evenit post conciones S. Laurentii a Brundusio, etc. Quanta misericors Salvator noster paravit laquea ad animas capiendas, et nobilissima servitute a potestate daemonis liberandas!

**40.** — QUINDECIM ENCOMIA STATUS RELIGIOSI. —  
1° « Hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo » (S. Aug. *de Morib. Eccles.* cap. 31).

2° Tutior haec vita est, et dulcior, ubi unus alium cohortatur, ubi alter alterius exemplo inflammatur (S. Aug. *serm.* 1, *ad fratres*).

3° O vita segura! ubi pura conscientia; o inquam, vita segura! ubi absque formidine mors expectatur, imo et exoptatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione (S. Bern. *Serm. ad Milit. templi*, cap. 1).

4° Viri religiosi habent in praesenti quatuor dotes corporum glorificatorum: subtilitatem habent per votum paupertatis, quo abscindunt a se omnem proprietatem, ut possint intrare per angustam portam vitae aeternae; claritatem habent per votum casti-

tatis, habentes vestimenta alba sicut nix; agilitatem habent per votum obedientiae, sequentes Agnum quocumque ierit; impassibilitatem habent, per amorem justitiae, quae facit omnes justos impassibiles (Hugo, *Card. Sup.* 1, *Cor.* cap. 15).

5° In religione, homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, praemiatur copiosius (S. Bern. *Hom. sup. quibusdam verbis Domini*).

6° Vehementer religiosi diabolum affligunt, cum jejunt; verberant, cum disciplinam recipiunt; calcant, cum veniam petunt; premunt, cum se humiliant; terrent, cum Jesum invocant; torquent, cum Mariam nominant; fugant... cum crucifixum adorant; vincunt, cum obediunt; arctant, cum insolitudine manent; ligant, cum silentium servant (Kempis, *serm.* 1, *ad Novit. div.* 1).

7° Tanta gratia datur accipientibus habitum religionis devote, quanta datur fidelibus in baptismo (Glossa ord. *sup. Genes.* cap. XIII).

8° Secundum opus majus post martyrium, est religionem ingredi, et renuntiare pro Deo voluntati propriae (S. Vinc. Ferrer. *Serm.* 6, *Dom.* 2 *Adv.*).

9° Altissima est professio vestra, coelos transit, par angelis est, angelicae similis puritati (S. Bern. *Apol. ad Guil. Abb.*).

10° Aliorum est Deo servire, vestrum adhaerere: aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri; vestrum est habere, intelligere, cognoscere, frui (S. Bern. *De Vita Solit.*).

11° Modus vitae religiosorum est sanctus, honestus, castitate decorus, discretionem praecipuus, a patribus institutus, a Spiritu Sancto praedeterminatus, animabus salvandis non mediocriter idoneus (S. Bern. *In Apolog. ad Guil. Abb.*).

12° Quis non illos miretur et praedicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt (S. Aug.).

13° Esse religiosus in coelo sedes inter seraphicos potest, quod hic in statu perfectissimae degerint charitatis (B. Alan. de Rupe, *de Excell. Relig.*).

14° Sancta religio figurative vocatur mors; unde vulgariter regulares dicuntur mortui, et saeculares viventes: tamen malus saecularis est vere mortuus, et bonus regularis vere vivens (S. Antonin. Part. 1, tit. 6, cap. 1, § 13).

15° Sunt novem beneficia religionis: abundans est pauperi; mediocri sufficiens; tolerabilis diviti; infirmis larga; delicatis compatiens; fortioribus moderata; poenitentibus misericors; perversis severa; bonis optima (Hug. a S. Vict. Lib. 1, *de Claust. animae*, cap. 8).

HINC omnibus a Deo vocatis, TEMPESTIVE et FIDUCIALITER dicendum est: « Si te religionis tuba vocet,

statim progredere, et multa cum alacritate descendas ad certamina » (S. Chrysost. *Hom. 67, ad pop. Antioch.*). — Et cum S. Bonaventura: « Convolate ad urbes refugii, ad loca videlicet religiosa, ubi possitis de praeteritis agere poenitentiam, in praesenti obtinere gratiam, et fiducialiter futuram gloriam praestolari » (S. Bonav. *in collat. de Contemptu saeculi*).

*Nec turbentur vocati ob amicorum displicentiam.* Etenim « Dubitare an propter contristationem amicorum, vel quodcumque temporalium detrimentum, homo debeat religionis propositum praetermittere, est animi adhuc carnali amore irretiti » (S. Thom. *contra retrah. ab ingres. relig.* c. 9). — DEINDE *vocati ad fortitudinem et perseverantiam adhortentur: nam* « Clastrum intrare nihil aliud est, quam se ad bellum contra hostes Christi armare » (Hugo Card. *sup. II Regum*, cap. XVII). — Et « qui aliud in religione quaerit, quam pure Deum et animae suae salutem, non inveniet nisi tribulationem et dolorem » (*De Imit. Christ.*, l. 1, c. 17). — *Et ad pacem et humilitatem in Congregatione conservandam, prae oculis vocatorum ponantur duo sequentia monita:* « Christus divisus non est: sive in alba, sive in pulla veste, in omni professione et ordine quis serviat, acceptus est Deo » (Petr. Bles. *epist.* 97, *ad Abbat.*). — « Quamvis unus religionis status alterum praecedat in votis substantialibus, non tamen praeferrari potest in omnibus, cum quilibet status aliquid praerogativae specialis obtineat, quo sancta ma-

ter nostra et sponsa Christi Ecclesia tanquam vestitu deaurato, circumdata varietate decoratur, et deiformis efficitur » (S. Bonav. *Apol. paup.* 1, resp. q. 9).

**41. — Imitatio quaedam vitae regularis.** — Multi sacerdotes piissimi et perfectionis sive propriae sive alienae zelatores hodiernis temporibus spiritualia vitae religiosorum commoda imitari conantur, et vestigia tot antiquorum sacerdotum sectantes, specialibus vinculis charitatis, pietatis, et ejusdem sacerdotalis vitae normae inter se conjunguntur, tanquam tot veluti communitates physice dispersas, sed moraliter unitas, sub uniformi directione alicujus sacerdotis, virtute et prudentia conspicui, et omnimoda erga Ordinarium obedientia et reverentia.

Quot, quantaque ex tam sancta ad perfectionem aemulatione exoriuntur bona, patet ex spiritus sacerdotalis ferventiori renovatione in illis dioecesibus, ubi plaudente et benedicente Ordinario (aliter fabricaretur super arenam, et societas esset petra offensionis, et causa rebellionis...), florent et dilatantur *Associationes sacerdotales intuitu perfectionis.*

Hinc, clerici qui ex Dei vocatione permanent in saeculo pervalde consolari, et spiritualiter ditari possunt per praelaudatas Associationes. Et quamvis dioecesis destituatur tanto perfectionis incitamento, devoti Dei ministri invenire sciunt multiplices formas se fortius adstringendi ad vitam *regulatam in omnibus, piam, sanctam, spiritualiter et specialiter subjectam directioni prudentis Directoris.* Et ju-

niores praesertim vicarii prudentissime vitam agunt communem cum parochio, in humilitate et spiritus fervore, Deo et Ecclesiae fideliter servientes. — Ergo toto cordis affectu dicamus illud S. Augustini: « Scio « Domine, scio et fateor quia indignus quidem sum « tibi servire, sed tu non es indignus servitio creaturae tuae: da ergo mihi, Domine, unde tu es dignus, et ego ero dignus unde sum indignus » (l. 4, *de Symb. fidei*).

**42. — Tertius ordo** a Sede Apostolica valde multiplici encomio celebratus, universali Ecclesiae plausu laudatus, gloriosissima sanctorum corona circumdatus, est potentissimum perfectionis adjumentum populo et clero propositum. *Regulae Tertii Ordinis observatio hodie facillima facta est* per Const. Leonis XIII, *Misericors Dei*, et sacri ministri in saeculo degentes, absque ullo fere supererogationis opere, per tertium Ordinem non solum spiritualibus thesauris ditantur, sed et fiunt quasi-religiosi sub D. Francisci vexillo adunati per regulam ab Ecclesia solemniter approbatam.

Unde non mirandum si Leo XIII ad dictum Ordinem omnes vocat clericos et fideles per triplicem Apostolicam Encyclicam (*Auspicato, Humanum genus, Quod auctoritate*), et innumeras prope publicas, privatasque exhortationes. — « Nobis est diu et magno opere in votis (ait Leo XIII., Enc. *Auspicato*), « ut quantum quisque potest in imitationem Francisci Assisiensis se intendat... Christianos homines « hortamur ut nomen dare sanctae huic Jesu-Christi

« militiae ne recuset. Plurimi numerantur passim  
 « ex utroque sexu, qui Patris Seraphici vestigiis ala-  
 « cri animo jam ingrediuntur. Quorum laudabile tale  
 « studium vehementerque probamus, ita tamen ut il-  
 « lud augeri, et ad plures propagari, vobis prae-  
 « sertim adnitentibus, Venerabiles Fratres, velimus...  
 « Itaque date operam, ut *Tertium* Ordinem vulgo  
 « noscant, atque ex veritate aestiment: providete, ut  
 « qui curam gerunt animarum, doceant sedulo qualis  
 « ille sit, quam facile unicuique pateat, quam ma-  
 « gnis in animarum salutem privilegiis abundet, quan-  
 « tum utilitatis privatim et publice polliceatur. » —  
 Eia, devote clerice, corde, verbo, opere, exemplo, pon-  
 tificio desiderio responde.


## REQUIES ANIMAE.

*Mariam cogita.* — Nemo negabit, Matrem nostram esse  
 Mariam; cum et ipsa sub cruce nos genuerit: si ergo,  
 qui honorat patrem suum et matrem suam, longaevus  
 erit super terram, ut ait Dominus; quid non obtinebis  
 tu, qui honoras Mariam, quae et Mater tua et Mater Dei  
 est? (Ex Opusc. « *Piissima* ».)

*Mariam invoca.* — Reminiscere miserationum tuarum,  
 Domina; et releva peregrinationem incolatus nostri (S. Bo-  
 nav.). Ab omni perturbatione libera servos tuos; et fac  
 eos vivere, sub pace, et protectione tua (id.). — (Ave  
 honorificentia et gaudium populi nostri, O B. M. V. de  
 Columna, esto fortitudo nostra, respice tristitiam cordis

nostri et recrea nos, ut olim tuum Jacobum, benignissima  
 praesentia pietatis tuae!)

*Mariam lactifica.* — Celeberrima B. M. V. templa et sa-  
 cella devotissime visitabis (nulla neglecta opportunitate),  
 simulque resolutiones fervoris et perfectionis efformabis,  
 et te, tua, tuosque omnes maternali B. Virginis curae  
 committes. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Ge-  
 nitricis* (S. Ildefons.).





TRACTATUS  
DE PERFECTIONE SPIRITUALI SPECIATIM

CAP. PRIMUM.

DE VIIS QUIBUS PERVENITUR AD PERFECTIONEM.

43. — **Monitum.** — « Via coelestis ambulantes quaerit: tria sunt hominum genera quae odit: remanentem, retro redeuntem, aberrantem: excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi » (S. Aug. *De tripl. habitac.* c. 4). Tu ergo qui in via Domini ambulas, indesinenter memento quod sis in terris *viator* et « Viator dicitur, qui praesentem vitam, viam sibi esse, et non patriam attendit, qui in dilectione praetereuntis saeculi cor figere despicit, qui nec remanere in transeuntibus, sed ad aeterna pervenire concupiscit » (S. Greg. l. 15, *Moral.* c. 35, n. 27).

44. — **Definitio.** — I. Via *etymologice* sic dicitur: « quia per eam unusquisque transeuntium viatur, » ait Cassiodor., sive *litteraliter* sive *metaphorice* ut in praesenti tractatu. — Unde metaphorice sunt viae iniquitatis, viae sanctitatis, imo aliquo sensu tot viae quot sunt hominum vivendi normae seu modi, ut multipliciter probant DD.: « Septem sunt viae difficiles (ait S. Antonin. p. 1, tit. 5, c. 3): via montuosa, via spinosa, via lutosa, via tenebrosa, via tumultuosa, via sumptuosa, via taediosa. Via montuosa, superbiorum; via spinosa, avarorum; via lutosa, luxuriosorum; via tenebrosa, invidorum; via tumultuosa, iracundorum; via sumptuosa, gulosorum; via taediosa, acediosorum ». Et viam devotorum sic describit S. Bonaventura (*sup. ps. 36*): « Quadruplex est via: Via a qua, via in qua, via per quam, via ad quam. Via a qua imus, est peccatum; via in qua imus, sunt virtutes et bona opera; via ad quam tendimus et per quam imus, est Christus ».

II. VIA PERFECTIONIS est *quaedam ordinata devote vivendi ratio ad charitatis augmentum quotidie obtinendum.* — DUPLEX EST: *late*, vel *stricte* sumpta. *Prima* est *legitima quaelibet devote vivendi ratio in ordine ad perfectionem charitatis*, ut v. gr. via zeli animarum, via mortificationis, via studii specialis circa lectionem spiritualem, via habitualis et sancti timoris, via fiduciae et specialis spei, via tribulationis et patientiae, etc.: quia in omnibus praeaudatis viis anima quamplurima peragit pia opera vel exercitia quibus ad perfectionem tendit. — *Se-*